



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XLIV. Quod sacras Reliquias procuraverit, eàsque multùm
veneraretur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT XLIV.

*Quod sacras Reliquias procuraverit, easque multum
veneraretur.*

INsuper quia idem devotus Pater Sanctorum Reliquias speciali devotione consueverat venerari, idcirco à diversis locis plurimas reliquias per semetipsum procurandò Monasterio B. MEINUNPHI apportavit, prout in præsentiarum cernitur esse factum, interdum etiam idem devotus Pater ex magna veneratione, quam sanctis libenter impendebat, fieri ordinavit, ut interdum, cum Reliquiæ à foris jamjamque ad portam supradicti Monasterij pervenerant, tamdiu ibidem detinerentur cum reverentia, donec Convectus Choralibus vestimentis indutus processionaliter obviam veniens easdem cum sonoro cantu humiliter ad Ecclesiam apportaret: ibidemque parumper statione facta, & collectis congruis de hujusmodi Sanctorum Reliquiis per Præsidentem lectis easdem ex summo Altari ardenti cereo ante posito ad tempus pro majori devotione Fratrum obtinendâ stare permittebantur, tamque devotus idem Prior ad Sanctorum Reliquias habebatur, ut cum per Ecclesiam transitum faceret, ire ad Chorum volens, sacris Reliquiis, quas in Capsa Joannis Baptistæ propè viam collectas noverat esse, honorem eis exhibens multum reverenter, & devotè ad easdem sese inclinavit.

CAPUT XLV.

*Quod plures occurrerint ad secum cohabitandum, &
& quod multos investiverit.*

ET quia gratiam attractivam habuit, ut præfertur, terramque latam ac spatiosam plurimis cultoribus indigentem, pius Dominus DEUS ex sua pietate taliter ordinavit, ut tam Laicorum, quam Clericorum ad cohabitandum conflueret multitudo, quibus omnibus, prout in sequentibus patet, novit peroptimè gerere morem, etiam tempore, quo idem Venerabilis Pater supradictum
rexit